



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

655. An, cessante necessitate, Pensionarii cesset pensio; item an cesset pensio reservata in favorem alicujus Collegii pro fundatione, ubi illi supervenit congrua provisio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Questio 655. An cessante necessitate pensionarii, cesset pensio. Item an cesset pensio reservata in favorem alicujus Collegii pro fundatione, ubi illi supervenit congrua provisio?

Respondeo ad primum: Loquendo de pensione proprie tali, seu imposta per Papam; etiamsi causa alimentorum in, vel ob quam fuit reservata ob quascunque partes pensionario divitias evanescat, pensionem tamen minimè extingui; eò quòd tunc demum extinguatur, si vel materia illius (quales sunt fructus beneficii, super quibus imposta pensio, & in quos actio realis dirigitur. Lott. l. 1. q. 41. n. 14.) pereat, vel reservatur ejus forma (qualis, ut Lott. *ibidem* est concursus ille consensus titularis, & voluntas Papæ) cum hæc sint causa intrinseca, & essendi; illa autem causa alimentorum sit causa extrinseca seu finalis, resque non pereat, pereunte hac causâ extrinsecâ, sed illis intrinsecis. Lott. *loc. cit.* n. 1. citans Bald. in *prohm. decretal. rex pacificus. n. 51.* Quid verò sit ex alio capite, nempe, incompatibilitatis, dum cessat illa causa alimentorum ex obviente eidem pensionario beneficio ad honestam illius sustentationem sufficiente, resolvendum ex dictis supra. *loc. cit. q. preced. in fine.* Quòd, si etiam sermo est pensione minus proprie tali, quam Episcopus imponere potest ipsi personæ beneficiari expirantem cum ejus vita ad sustentationem alicujus pauperis scholaris, illam extingui seu cessare cessante illâ necessitate, probabilius sibi videri ait Card. de Luc. de *pens. d. 40. n. 6.*

2. Respondeo ad secundum: Neque in eo casu extingui seu cessare pensionem, dum in reservatione id specialiter expressum non esset, sed absolute, & simpliciter imposta pensio pro fundatione talis Collegii. Siquidem de potestate Papæ absoluta gravandi Ecclesias, etiam perpetuis pensionibus dubitandum non est; voluntas autem illius super hoc in præsentè casu est clara, dum aliud non exprimitur. Card. de Luc. de *pens. d. 77. per tot. præcipue n. 4.* De cetero, dum indicta forrè contributio per Papam Clero de beneficiis pro sustentatione Seminaris, eam contributionem cessare, cessante dictâ necessitate, libenter admittit idem Card. *loc. cit. n. 5.* Verùm illa contributio, ut ille ait, longè quid diversum est à pensione imposta super certo beneficio simpliciter, ac perpetuo.

Questio 656. An extinguatur pensio, dum mutatur, vel alteratur beneficium, cui imposta, v. g. dum Ecclesia, cui imposta pensio, de simplice sit Parochialis, vel Collegiata, vel etiam de Regulari, vel seculari Collegiata sit Cathedralis?

Respondeo negativè. Lott. l. 1. q. 42. n. 1. Card. de Luc. de *pens. d. 67. n. 3.* citans Corrad. in *pr. benef. l. 2. c. 15. n. 101.* &c. eò quòd hujusmodi immutationes status, quoties expressè contrarium non disponitur, non præjudicent juribus tertii cum ipsa immutatione compatibilibus juxta regulam, de jure tertii non tollendo. Card. de Luc. *loc. cit.* Et id, quod Papa in reservatione pensionis contempletur, sunt solummodò fructus beneficii, eorumque quantitas, non verò duratio illius qualitatis, quam tunc habebat beneficium; dum autem illud, quod Papa contempletur, perseverat

in suo esse, parum refert, quòd in alio contingat alteratio. Lott. *loc. cit.* qui etiam n. 2. id ipsum confirmat ex eo, quòd, dum Parochialis, ex qua quis percipiebat partem funeralium ex privilegio, erigitur in Collegiatam; inde non sequatur amissio dicti privilegii, sed potius illud præservetur, pro quo postremo citat *de off. unic. n. 3. de sepult. in antiq.*

Questio 657. An pensio reservata alicui habenti certam qualitatem expiraret cessante dictâ qualitate?

Respondeo primò: Dum ea qualitas non est causa concessionis pensionis, cessante dein ex intervallo illâ qualitate, non semper expirat pensio. Card. de Luc. de *pens. d. 2. n. 3.* ostendens id in milite Lauretano ex privilegio illi militie concessio, capaci pensionis, non obstantè statu seculari, etiam matrimoniali; dum enim tali non Clerico reservatur pensio (non solita alias reservari nisi Clericis, vel talem militiam habentibus) cum expressione seu narratione, quòd reservatarius esset miles Lauretanus, habente seu supplete hac qualitate talis militie in hoc casu vicem Clericatus, pensio non cessaret cessante dictâ militiâ, dum interea iste pensionarius Clericatum suscipisset; hoc enim suscepto opus non erat, qualitatem illam aliam perdurare; cum ea non esset principalis, & finalis causa reservationis, sed solum enunciabatur pro habilitatione, eo modo, quo enunciari solet Clericatus.

2. Respondeo secundò: Quin etiam, si talis qualitas fuisset causa concessionis pensionis, ea adhuc non cessaret, cessante illâ qualitate; quia adhuc non foret causa durationis istius concessionis, ex eo, quòd cessante causâ, non statim cesset effectus consummatus, & semel perfectè in esse deductus, sitque magnum discrimen inter causas fiendi, & causas essendi, ut dictum *quest. ante hanc 2.* & in illis causis fiendi non consideretur earum perseverantia; sed sufficiat pro eo tempore, quo actus factus est, eam fuisse. Card. de Luc. *loc. cit. num. 3.* exemplificans id ipsum *n. seq.* casu pensionum reservatarum ad favorem Cardinalis, in quibus probabiliter dici solet, reservationem principaliter factam intuitu dignitatis hujus, nempe ad illius decorem sustinendum; & tamen, si talis, absque eo, quòd matrimonium contrahat, aut statum alium incompatibilem assumeret, dimitteret Cardinalatum, remanendo Clericus, aut in alio statu capaci pensionum, non per hoc amitteret pensionem præhabitam, eò quòd dignitas illa Cardinalitia fuit causa fiendi, idè què non remaneat causa præcisa essendi.

Questio 658. An, & qualiter cesset pensio per mortem Papæ eam concedentis, præcipue, dum concessio pensionis conditionata est, & moritur Papa, eam concedens, dictâ conditione adhuc pendente, seu necdum impleta?

Respondeo primò: Dum reservatio pensionis semel est in esse deducta, seu simpliciter, & absolute concessa, moriente dein Papâ, qui eam concessit, non extinguitur. Lott. l. 1. q. 41. n. 1. cum communi.

2. Respondeo secundò: Dum quidem ipsa gratia reservationis necdum est in esse deducta, concessa